

HANS H. ØRBERG  
**LINGVA LATINA**  
PER SE ILLUSTRATA

**FABELLAE LATINAE**  
ad cap. I–XXV

DOMVS LATINA  
MMVI

LINGVA LATINA PER SE ILLUSTRATA  
FABELLAE LATINAE ad cap. I–XXV

© Hans H. Ørberg 2006

ISBN 87-90696-15-8

*Domus Latina.* [www.lingua-latina.dk](http://www.lingua-latina.dk)

Ex his fābulis aliās (11, 12, 17, 18, 23) primum exarāvit vel adumbrāvit  
*Milena Minkova*, aliās (24, 25) discipulae Neāpolitānae.

## Contents

PERSONAE	3
1. Prōvinciae Rōmānae (cap. I)	3
2. Līberī et librī (cap. I-II)	4
3. Pater dormit (cap. I-III)	5
4. Nummus Dāvī (cap. I-IV)	6
5. Liber novus (cap. I-V)	7
6. Puella in hortō (cap. I-V)	8
7. Mēdus et Cornēlius (cap. I-VI)	9
8. Speculum Aemiliae (cap. I-VII)	10
9. Ōrnāmenta dominae (cap. I-VIII)	11
10. Dominī et equī (cap. I-IX)	12
11. Tabernae Iūliī (I-X)	13
12. Pater abest, adest māter (cap. I-X)	14
13. Servī dormiunt (cap. I-XI)	15
14. Puer armātus (I-XII)	16
15. Kalendārium Rōmānum (I-XIII)	17
16. Asinus currēns (cap. I-XIV)	18
17. Puer aeger et medicus (cap. I-XV)	19
18. Canis ululāns (cap. I-XV)	20
19. Via Ōstiēnsis (cap. I-XVI)	21
20. Medicus doctus (cap. I-XVII)	22
21. Numerī et litterae (cap. I-XVIII)	23
22. Amor adulēscēntium (cap. I-XIX)	24
23. Dē novō infante (cap. I-XX)	25
24. Fīlius mercātōris (cap. I-XX)	26
25. Gubernātor optimus (cap. I-XX)	27
26. Magister numerōs dictat (cap. I-XXI)	28
27. Iānitor probus (cap. I-XXII)	29
28. Neuter recēdere vult (cap. I-XXIII)	30
29. Redit Sextus (cap. I-XXIV)	31
30. Puer barbarus (cap. I-XXV)	32

## PERSONAE

*Aemilia*, domina, māter Mārci, Quīnti, Iūliae  
*Aemilius*, miles, frāter Aemiliae  
*Cornēlia*, puella, filia Cornēlii et Fabiae  
*Cornēlius* dominus, pater Sexti et Cornēliae  
*Dāvus*, servus Iūlii  
*Dēlia*, ancilla Aemiliae  
*Diodōrus*, magister  
*Dōrippa*, amīca Lȳdiae  
*Fabia*, uxor Cornēlii  
*Grūmiō*, tabernārius  
*Iūlia*, puella, filia Iūlii et Aemiliae  
*Iūlius*, dominus, pater Mārci, Quīnti, Iūliae  
*Lēander*, servus Iūlii  
*Lepidus*, adulēscēns  
*Libanus*, servus Cornēlii  
*Lȳdia*, amīca Mēdi  
*Mārcus*, puer, filius Iūlii et Aemiliae  
*Marinus*, adulēscēns, filius Miciōnis  
*Medicus* Tūsculānus  
*Miciō*, mercātor, pater Marīni  
*Mopsus*, tabernārius  
*Sanniō*, iānitor  
*Sextus*, puer, filius Cornēlii et Fabiae  
*Syra*, ancilla Aemiliae

## FABELLAE LATINAE

### 1. Prōvinciae Rōmānae (cap. I)

In imperiō Rōmānō multae sunt prōvinciae. Hispānia et Gallia sunt prōvinciae Rōmānae. Britannia quoque prōvincia Rōmāna est. Hispānia et Gallia et Britannia trēs prōvinciae in Eurōpā sunt.

Ubi sunt prōvinciae Syria et Aegyptus? Syria in Asiā est, Aegyptus est in Āfricā. Britannia īnsula est. Num īnsulae sunt Gallia et Hispānia? Nōn sunt īnsulae; sed Corsica, Sardinia, Sicilia īnsulae sunt. Magna īnsula est Britannia. Sicilia quoque et Sardinia et Corsica magnae sunt īnsulae.

Melita īnsula parva est.

Quid est Brundisium? Brundisium oppidum est. Quid est Dānuvius? Dānuvius est fluvius. Rhēnus quoque fluvius est. Rhēnus et Dānuvius sunt duo magni fluvii in Eurōpā. Nilus quoque magnus fluvius est. Estne Nilus in Eurōpā? Nōn in Eurōpā, sed in Āfricā est Nilus. Num Rhodus fluvius est? Nōn fluvius, sed īnsula est. Rhodus est īnsula Graeca. In Graeciā multae sunt īnsulae parvae et magnae.

INSVLA et OPPIDVM vocābula Latīna sunt. In vocābulō INSVLA sunt sex litterae: littera p̄ima I, secunda N, tertia S... I est littera et numerus. Numeri p̄imi sunt I, II, III, litterae p̄imae A, B, C.

## 2. Liberī et librī (cap. I–II)

Quid est Tūsculum? Tūsculum est oppidum Rōmānum. Estne magnum oppidum? Tūsculum nōn magnum, sed parvum oppidum est. Ubi est Tūsculum? Tūsculum est in Italiā.

Quis est Iūlius? Iūlius est vir Rōmānus. Cuius vir est? Vir Aemiliae est. Ubi est Iūlius? Est in oppidō Tūsculō. Estne Aemilia in oppidō? Nōn est.

Cornēlius: “Ubi est vir tuus, Aemilia?”

Aemilia: “Iūlius, vir meus, in oppidō Tūsculō est. Sed ecce Mārcus, filius meus, et Dēlia.”

Cornēlius: “Quae est Dēlia?”

Aemilia: “Dēlia ancilla mea est.”

Cornēlius: “Estne Syra quoque ancilla tua?”

Aemilia: “Dēlia et Syra et cēterae multae sunt ancillae meae. In familiā meā sunt multae ancillae multique servī – et paucī liberī.”

Cornēlius: “Quot liberī in familiā tuā sunt?”

Aemilia: “Trēs.”

Cornēlius: “Quot filii et quot filiae?”

Aemilia: “Duo filii et ūna filia. Filii meī sunt Mārcus et Quīntus, filia mea est Iūlia. In familiā meā sunt centum servī et trēs liberī.”

Cornēlius: “Centum est magnus numerus! In meā familiā parvus numerus servōrum est. Neque magnus est numerus liberōrum meōrum.”

Aemilia: “Quot sunt liberī tui?”

Cornēlius: “Duo: ūnus filius, Sextus, et ūna filia, Cornēlia. Parvus est numerus *liberōrum* – sed numerus *librōrum* meōrum nōn parvus est! Librī meī sunt magni et parvi, antiqui novique: centum librī Latīni et Graeci.”

Aemilia: “Centum librī! Magnus est numerus librōrum tuōrum!”

Cornēlius: “Ecce liber meus novus; titulus librī est GRAMMATICA LATINA.”

*Liberī* et *liber* duo vocābula masculīna sunt. *Liberī* est plūrālis, *liber* singulāris – plūrālis: *librī*.

### 3. Pater dormit (cap. I–III)

Iūlia, fīlia Iūlii et Aemiliae, est parva puella laeta quae cantat et rīdet. Sed iam nōn cantat puella neque rīdet, sed plōrat: “Uhuhū!” Cūr plōrat Iūlia? Puella plōrat quia Mārcus eam pulsat.

Mārcus est puer improbus quī parvam puellam pulsat – et rīdet!

Aemilia audit fīliam quae plōrat.

Iūlia Iūlium vocat: “Pater! Pa-ater!”

Māter fīliam audit, neque pater eam audit.

Aemilia Iūlium nōn videt et Syram ancillam interrogat: “Ubi est vir meus? Iūlia eum vocat. Cūr nōn venit?”

Syra: “Dominus dormit.”

Aemilia: “Ō! Fīlia plōrat – et pater dormit!”

Iūlia: “Uhuhū! Mārcus mē pulsat!”

Mārcus rīdet: “Hahahae!”

Pater audit fīliam quae plōrat et fīlium quī rīdet. Iam nōn dormit Iūlius.

Iūlius venit et Aemiliam interrogat: “Cūr Iūlia plōrat et Mārcus rīdet?”

Aemilia respondet: “Mārcus rīdet, quia Iūlia plōrat, et Iūlia plōrat et tē vocat, quia Mārcus eam pulsat. Puer improbus est Mārcus!”

Iūlius Mārcum vocat. Mārcus venit et Iūlium irātum videt, neque iam rīdet puer. Pater irātus fīlium improbum verberat!

Iam nōn Iūlia, sed Mārcus plōrat.

#### 4. Nummus Dāvī (cap. I–IV)

Aemilia, quae virum suum nōn videt, Dāvum interrogat: “Ubi est vir meus? Cūr nōn venit?”

Dāvus audit dominum, quī Mēdum vocat: “Venī, Mēde! Venī, improbe serve!”

Dāvus: “Audī! Dominus Mēdum vocat, sed Mēdus abest neque venit.”

Aemilia: “Mēdus nōn venit quia pecūniam dominī suī habet. Is servus improbus est! Sed ecce venit vir meus.”

Aemilia laeta est, quia Iūlius venit. Is irātus est, et sacculum suum in mēnsā pōnit.

Iūlius: “Ecce sacculus meus. Iam nōn centum, sed tantum decem nummī in sacculō meō sunt.

Cēterī nummī meī sunt in sacculō Mēdī!” Dominus suum Mēdum servum accūsāt.

Aemilia: “Nōn decem, sed tantum novem sunt nummī in sacculō tuō.”

Iūlius pecūniam numerat: “Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem. Quid?

Novem tantum? Cūr ūnus nummus abest?”

Aemilia: “Quia in sacculō Dāvī est, neque tuus, sed Dāvī est nummus.

Ecce Dāvus adest. Is nūllum tuum nummum habet. Nōn Dāvum, sed Mēdum accūsā!”

Dāvus: “Ecce parvus sacculus meus, domine. In sacculō ūnus est nummus, quī meus est.”

Iūlius: “Ō Dāve, nummum habē, bone serve! Nōn meus, sed tuus est. Sūme sacculum tuum et discēde!”

Rīdet Aemilia. Iam Iūlius quoque rīdet neque Dāvum, servum probum, accūsāt.

Dāvus sacculum suum sūmit et discēdit.

Iūlius: “Probus servus est Dāvus, eius est pecūnia quae in sacculō eius est. Sed mea est pecūnia quae est in sacculō Mēdī!”

## 5. Liber novus (cap. I–V)

Cornēlius est dominus Rōmānus, quī in oppidō Tūsculō habitat. Cornēlius duōs liberōs habet, Sextum filium et Cornēliam filiā, et decem tantum servōs. Paucī sunt servī Cornēlii, quia Cornēlius nōn magnam pecūniam habet. Neque magnam villam habet Cornēlius, sed multōs librōs Latīnōs et Graecōs habet. Cornēlius est dominus quī librōs et litterās amat. Bonī et pulchrī librī eum dēlectant. Etiam Sextus, filius Cornēlii, librōs et litterās amat.

Cornēlius suum Libanum servum vocat: “Venī, Libane!”

Libanus venit et dominum salūtat: “Salvē, domine! Ecce, servus tuus adest.”

Cornēlius salūtat servum suum: “Salvē, Libane! Tacē et audī!”

Servus tacet et audit.

Cornēlius eum interrogat: “Ubi est liber meus novus? Cūr hīc in mēnsā nōn est?”

Libanus tacet neque respondet.

Cornēlius imperat: “Respondē, serve!”

Libanus: “Nōn mē, sed filium tuum interrogā!”

Cornēlius: “Quid?”

Libanus: “Liber tuus novus est in cubiculō Sextī. Is habet librum tuum.”

Cornēlius: “Quid agit puer cum librō meō?”

In cubiculō suō Sextus habet librum Cornēlii novum. Titulus librī est GRAMMATICA LATINA.

Sextus Cornēliam vocat: “Venī, Cornēlia! Ecce liber novus. Titulus eius est GRAMMATICA

LATINA. In librō multa capitula sunt. Titulus capitulī primī est LITTERAE ET SYLLABAE.

Ecce litterae Latīnae in pāginā primā: A, B, C, D, E, cēterae. Iam respondē, Cornēlia: quot litterae sunt in vocābulō LATINA?”

Cornēlia litterās numerat: “Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque, sex. In vocābulō LATINA sunt sex litterae: L, A, T, I, N, A.”

Sextus: “Et quot syllabae?”

Cornēlia: “Trēs: syllaba primā LA, secunda TI, tertia NA.”

Sextus rūsus eam interrogat: “Vocābulum GRAMMATICA quot litterās habet?”

Cornēlia litterās numerat et respondet: “Decem.”

Sextus: “Et quot syllabās?”

Cornēlia: “GRAM-MA-TI-CA: quattuor syllabās habet.”

Cornēlius filium suum vocat: “Sexte, venī!”

Sextus pāret: ex cubiculō venit cum librō Cornēlii.

Pater irātus filium interrogat: “Estne liber meus novus in cubiculō tuō?”

Sextus librum in mēnsā pōnit: “Nōn est in cubiculō meō. Ecce liber tuus in mēnsā tuā!”

Iam Cornēlius ridet neque irātus est. Pater, quem librī et litterae dēlectant, laetus est quia etiam filius librōs et litterās amat.

## 6. Puella in hortō (cap. I-V)

Iūlius, quī magnam pecūniam habet, in magnā et pulchrā villā habitat cum familiā suā. Villa eius habet ātrium et peristylum et multa cubicula. Iūlius et Aemilia trēs liberōs habent: duōs filiōs, Mārcum et Quīntum, et ūnam filiam, Iūliam. Iūlia parva puella est.

Ubi est filia Iūlii et Aemiliae? Iūlia est in hortō villae. Puella laeta rīdet et rosās carpit. Quot rosās carpit Iūlia? Quīnque rosās magnās et pulchrās carpit. Rosae Iūliam dēlectant.

Iūlia, quae sōla est in hortō, puerōs vocat: “Venīte, Mārce et Quīnte!”

Puerī ex peristylō veniunt et Iūliam in hortō vident.

Iūlia: “Ecce quīnque rosae. Vidēte rosās meās!”

Quīntus: “Quīnque parvus numerus est! In hortō est magnus numerus rosārum. Centum rosae hīc sunt!”

Mārcus: “Nōn centum tantum, sed mille rosae in hortō meō sunt.”

Iūlia: “Nōn tuus est hortus!”

Mārcus: “Neque tuae sunt rosae!”

Puerī ab Iūliā discēdunt. Rosae eōs nōn dēlectant.

Iūlia rūsus quīnque rosās pulchrās carpit. Quot rosās iam habet Iūlia? Puella nōn quīnque tantum, sed decem rosās habet: quīnque et quīnque sunt decem.

Estne decem magnus numerus? Nōn magnus numerus est, neque parvus.

Puella, quae rosās amat, laeta est et cantat.

Iūlius, pater Iūliae, ex villā venit. Iūlius, quī baculum habet, irātus est et filiam suam interrogat: “Estne Mēdus hīc in hortō?”

Iūlia respondet: “Nōn est. In hortō nūllus est servus, sed ecce filia tua hīc est. Salūtā mē, pater!”

Iūlius: “Salvē, mea filia!”

Iūlia: “Ecce decem rosae! Habē eās, pater! Tuae sunt rosae. Nōnne pulchrae sunt?”

Iūlius nōn respondet, sed Mēdum vocat: “Mēde! Venī, improbe serve!”

Iūlia interrogat: “Cūr improbus est Mēdus?” neque pater respondet, sed ab filiā suā discēdit – sine rosīs.

Iūlia: “Cūr discēdit pater neque respondet? Is nōn amat rosās – num filiam suam amat?” Iūlia iam nōn laeta est neque cantat.

Iūlius rūsus Mēdum vocat: “Mēde! Me-ē-de!” sed Mēdus, quī nummōs dominī habet, iam abest ab villā et ab hortō.



## 7. Mēdus et Cornēlius (cap. I–VI)

Lýdia est fēmina pulchra quae Rōmae habitat. Estne fēmina Rōmāna? Nōn Rōmāna est, sed Graeca. Lýdia autem procul ā Graeciā habitat. Estne sōla? Lýdia sōla habitat, neque sōla est Rōmae, nam multās amīcās Rōmānās et Graecās habet. Etiam amīcum habet Lýdia, neque is Rōmānus est, sed Graecus, neque Rōmae habitat, sed prope oppidum Tūsculum. Amīcus Lýdiae est Mēdus, servus Iūlii. Lýdia Mēdum amat et ab eō amātur.

Estne Mēdus apud dominum suum? Nōn est in villā apud dominum, neque Tūsculī est, sed in viā Latīnā inter Rōmam et Tūsculum. Quō it Mēdus sine dominō suō? Rōmam it. Post eum est Tūsculum, Rōma ante eum est.

Mēdus laetus est et cantat, quia ad amīcam suam ambulat. Sed iam tacet Mēdus. Cūr iam nōn cantat servus? Mēdus tacet neque cantat, quia videt dominum Rōmānum quī equō vehitur Rōmā Tūsculum. Quis est dominus quem videt Mēdus? Est Cornēlius, quī Tūsculī habitat. Is ā Mēdō timētur, quia Iūlii est amīcus.

Cornēlius (ad equum suum): “Ecce servus quī sōlus Rōmam ambulat. Cuius is est servus? estne servus Iūlii? Is est!” Verba Cornēlii ab equō tantum, nōn ā Mēdō audiuntur.

Iam Cornēlius prope Mēdum est, neque ab eō salūtātur. Neque servum salūtāt Cornēlius, sed interrogat: “Quis est dominus tuus, serve? Estne Iūlius?”

Mēdus, quī amīcum Iūlii timet, nūllum verbum respondet, et Rōmam ad amīcam suam ambulat. Iam Cornēlius post Mēdum est neque eum rūsus interrogat. Cornēlius, quī sōlus equō vehitur, interrogat equum: “Cūr servus mē nōn salūtāt, sed tacet neque respondet?”

Equus verba dominī audit neque verbum respondet, sed tantum “Hihihi!” – nam equus verba nōn habet!

Ecce Mēdus per portam Capēnam Rōmam intrat et laetus ad ōstium Lýdiae ambulat. Mēdus ōstium pulsāt et intrat.

Lýdia laeta amīcum suum salūtāt et ab amīcō suō salūtātur.

## 8. Speculum Aemiliae (cap. I–VII)

Syra et Dēlia, ancillae amīcae, ex ātriō exeunt.

Syra: “Venī in cubiculum Iūliae. Illic bonum speculum est. Iūlia speculum Aemiliae in cubiculō suō habet.”

Syra et Dēlia in cubiculum Iūliae intrant. In cubiculō eius est parva mēnsa. Syra videt speculum, quod in mēnsā est.

Syra. “Ecce speculum. Claude oculōs, Dēlia!”

Dēlia oculōs claudit. Syra speculum sūmit et ante Dēliam tenet.

Syra: “Iam aperī oculōs!”

Dēlia oculōs aperit et sē videt in speculō, quod ā Syrā tenētur. Oculi Dēliae pulchrī sunt et fōrmōsus est nāsus eius. Dēlia est ancilla fōrmōsa.

Syra: “Ecce oculi tuī pulchrī et nāsus tuus fōrmōsus.”

Dēlia verbīs Syrae dēlectātur et sē ad eam vertit. In oculis Syrae lacrimās videt.

Dēlia: “Quid est, Syra? Ecce lacrimae in oculis tuīs!”

Syra: “Oculi meī nōn tam pulchrī sunt quam tuī et foedus est nāsus meus.”

Dēlia: “Ō Syra! Tergē oculōs! Nōn pulchrī sunt oculi plēnī lacrimārum. Sine lacrimīs pulchrī sunt oculi tuī, neque nāsus tuus foedus est, sed tam fōrmōsus quam... Iūliae.”

Syra oculōs terget et Dēliam interrogat: “Iamne pulchrī sunt oculi meī?”

Dēlia rīdet et eī speculum dat: “Ecce speculum. Vidē oculōs tuōs in speculō.”

Syra speculum ante sē tenet – neque rīdet neque lacrimat.

Aemilia in cubiculō suō ancillās suās exspectat, neque ancillae veniunt; itaque Aemilia eās vocat:

“Syra et Dēlia! Venīte!”

Ancillae, quae dominam suam vocāre audiunt, ex cubiculō Iūliae exeunt et in cubiculum Aemiliae intrant. Illic nōn solum Aemilia, sed etiam Iūlia adest.

Aemilia imperat: “Syra, ī cum Iūliā in hortum! Illic inter rosās ambulāte, nam Iūlia rosīs dēlectātur.”

Syra cum Iūliā discēdit.

Aemilia (ad Dēliam): “Sūme speculum, Dēlia, et ante mē tenē!”

Dēlia: “Sed speculum tuum hīc nōn est.”

Aemilia: “Quid? Ubi est speculum meum?”

Dēlia: “Iūlia in cubiculō suō habet speculum tuum.”

Aemilia: “Quid agit Iūlia cum speculō meō?”

## 9. Ōrnāmenta dominae (cap. I–VIII)

Aemilia in cubiculō suō est cum Dēliā ancillā. Dēlia dominam suam ōrnat: margarītās circum collum Aemiliae pōnit. Aemilia ōrnāmentīs dēlectātur neque sine ōrnāmentīs ē cubiculō exit. Multās margarītās et gemmās pulchrās habet, neque ūnum tantum ānulum, sed decem ānulōs gemmātōs. Aemilia multa ōrnāmenta ā virō suō pecūniōsō accipit – et multās rosās ā filiā suā.

Domina ancillae suae sacculum ostendit: “In hōc sacculō nōn nummī, sed ānulī sunt. Ecce ānulī gemmātī quī mē dēlectant.” Aemilia quattuor ānulōs gemmātōs ē sacculō sūmit et in mēnsā pōnit.

Dēlia: “Ō, quam pulchrī sunt illī ānulī!”

Aemilia ūnum ex quattuor ānulīs sūmit et Dēliae ostendit: “Aspice hunc ānulum! Pretium huius ānulī est mille et centum sēstertīi.”

Dēlia: “Id magnum pretium est!”

Dēlia ānulum sūmit et ante ōculōs suōs tenet; gemmam ānulī aspicit.

Dēlia: “In hōc ānulō nōn tanta gemma est quanta in illō.” Dēlia mōnstrat alium ānulum gemmātum.

Aemilia: “Tanta gemma ad tam parvum ānulum nōn convenit. Neque pretium illius gemmae tantum est quantum huius. Haec gemma sōla mille sēstertīis cōstat. Hunc ānulum pōne in digitō meō!”

Ancilla ānulum gemmātum in digitō dominae pōnit. In quō digitō? In digitō quārtō, nam ānulus ad eum digitum convenit. Aemilia laeta aspicit digitum suum quī ānulō ōrnātur.

Aemilia: “Speculum tenē ante mē!”

Dēlia speculum tenet ante dominam, quae sē cum margarītīs suis fōrmōsīs aspicit. Et ānulō et margarītīs dēlectātur.

Aemilia cum ōrnāmentīs ē cubiculō exit neque ōstium post sē claudit.

Dēlia, quae iam sōla est in cubiculō, sacculum et ānulōs trēs quī in mēnsā sunt aspicit. Ōstium claudit, et ex ānulīs sūmit eum quī magnam gemmam habet.

Dēlia: “Quam pulcher est hic ānulus! Neque haec gemma nimis magna est. Etiam ad meum digitum convenit ānulus gemmātus!”

Ancilla, quae nūllum ōrnāmentum habet, ānulum Aemiliae in digitō suō pōnit! Digitum cum ānulō laeta aspicit – neque ea cum ōrnāmentīs exit.

Dēlia, ancilla proba, quae tam pulchra est quam domina sua, trēs ānulōs rūrsus in sacculō dominae pōnit et sine ōrnāmentīs ē cubiculō exit. Dēlia ōstium post sē claudit.

Dominae Rōmānae multīs ōrnāmentīs pulchrīs ōrnantur. Ancillae nūlla aut pauca ōrnāmenta habent.

## 10. Dominī et equī (cap. I-IX)

Iūlius et Cornēlius sunt dominī Rōmānī. Iūlius est dominus pecūniōsus, quī magnam villam habet et magnam familiam, id est multōs servōs. Etiam decem equōs fōrmōsōs habet Iūlius. Cornēlius nōn tam pecūniōsus est quam Iūlius: is decem tantum servōs habet, et ūnum equum album. Cornēlius equum suum amat.

Iūlius imperat: “Dūc equum ante ōstium, Syre!”

Ex decem equīs Iūlii Syrus sūmit illum nigrum quem dominus ante aliōs amat eumque ante ōstium dūcit. Iam dominus in equō est. Iūlius equō vehitur Tūsculum ad amīcum suum Cornēlium.

Iūlius ante ōstium Cornēlii cōsistit et amīcum suum, quī exit, salūtat: “Salvē, amīce! Sūme equum tuum et venī in silvam cum amīcō tuō!”

Amīcī duo oppidum relinquunt et per vallem ad silvam eunt. Equī laetī per campum currunt. Ovēs, quae errant in campō, equōs timent et ad pāstōrēs suōs accurrunt. Canēs pāstōrum lātrant. Iam equī fessī ante rīvum cōsistunt. Dum equī aquam bibunt ē rīvō, dominī caelum aspiciunt. Nūlla nūbēs vidētur, sōl lūcet in caelō sine nūbibus. Itaque Iūlius et Cornēlius umbram petunt: campum relinquunt et in silvam intrant. Iam in umbrā sunt sub arboribus. Equī iam nōn currunt, sed inter arborēs ambulant.

Hic equus Cornēlii consistit et hinnit: “Hihihī!” Equus terram ante sē aspicit et nāsum pōnit ad terram.

Iūlius, quī equum Cornēlii hinnire audit, equum suum nigrum vertit et interrogat: “Cūr equus tuus cōsistit?”

Cornēlius: “Quia vestīgia videt in terrā.”

Iūlius: “Quae vestīgia?”

Cornēlius, quī iam in terrā est ante equum, vestīgia quaerit, dum Iūlius in equō suō exspectat.

Cornēlius in terrā reperit vestīgia lupī, quae digitō mōnstrat: “Ecce vestīgia lupī. Nōn procul abest lupus ipse.”

Lupus autem procul in monte ululat: “Huhuhū!”

Equus Cornēlii, quī lupum ululāre audit, rūsus hinnit: “Hihihī!” Equus Iūlii lupum nōn audit neque hinnit.

Cornēlius: “Equus meus lupum timet.” Cornēlius equum suum album tenet.

Iūlius: “Meus equus nōn timet lupum!”

Cornēlius: “Neque lupus equum tuum timet!”

Cornēlius, quī prope vestīgia lupī etiam alia vestīgia reperit: “Quid hoc est? Nōn solum lupī, sed etiam ovis vestīgia hīc sunt!”

Iūlius: “Quid agit ovis in silvā cum lupō? Num lupum amat ovis?”

Cornēlius: “Nōn lupum ovis, sed lupus ovem amat – et amīcam suam ēst!”

## 11. Tabernae Iūlii (I–X)

Iūlius est vir pecūniōsus quī magnam vīllam habet prope Tūsculum oppidum. Iūlius etiam tabernās habet in oppidō.

Grūmiō est tabernārius quī Tūsculī pānem vēndit. Quī ipsī pānem suum facere nōn possunt pānem ā Grūmiōne emunt. Hōc modō ille pecūniam facit. Sed taberna ubi Grūmiō pānem vēndit nōn Grūmiōnis, sed Iūlii est. Iūlius est dominus Grūmiōnis et tabernae eius. Ergō Grūmiōnī necesse est pecūniam Iūliō dare. Iūlius ā tabernāriō suō pecūniam accipit.

Iūlius cum servīs Ursō et Dāvō Tūsculum it. Dominus equō vehitur, servī nōn equīs sed asinīs vehuntur. Grūmiō nōn sine timōre dominum venīre videt.

Iūlius ante tabernam Grūmiōnis cōnsistit eumque salūtat: “Salvē, Grūmiō!” et ab eō salūtat: “Salvē, domine!”

Grūmiō parvā vōce Ursū interrogat: “Cūr dominus Tūsculum venit?”

Ursus respondet: “Dominus ad tabernāriōs suōs adit quia pecūniam accipere vult.”

Rīdet Ursus. Grūmiō nōn rīdet: is verbīs Ursī nōn dēlectātur.

Grūmiō Iūliō pānem ostendit: “Ecce pānis meus bonus.”

Iūlius: “Quī pānem bonum vēndit magnam pecūniam facit.”

Grūmiō: “Sed multī aliī sunt tabernāriī quī pānem vēndunt. Ergō necesse est pānem parvō pretiō vēndere. Nēmō quī pānem vēndit magnam pecūniam facit.”

Iūlius: “Mea est haec taberna: necesse est pecūniam dominō tabernae dare. Centum sēstertiōs dā!”

Grūmiō: “Centum sēstertiōs! Tanta pecūnia apud mē in hāc tabernā nōn reperitur.”

Grūmiō Iūliō ostendit sacculum suum, quī neque plēnus neque vacuus est.

Iūlius: “Quot sēstertiī īsunt in sacculō tuō?”

Grūmiō nummōs numerat: “Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque..... nōnāgintā; ecce nōnāgintā sēstertiī īsunt.”

Iūlius (īrātus): “Nōn satis est!” – sed pecūniam sūmit et in sacculō suō pōnit.

Iam sacculus Grūmiōnis vacuus est – sed in cubiculō sub lectō suō Grūmiō nōn parvam pecūniam occultat!

Iūlius rūsus in equum ascendit et ā tabernā Grūmiōnis it ad aliam tabernam suam, quae est in viā ubi multī hominēs pecūniōsī habitant. Tabernārius est Eumolpus, neque is pānem, sed gemmās vēndit. Quī gemmās vēndit magnam pecūniam facere potest. Ergō Iūlius ā tabernāriō suō Eumolpō magnam pecūniam accipere vult.

## 12. Pater abest, adest m̄ter (cap. I–X)

Liberi in lectis suis dormiunt. Aemilia dormire nōn potest, quia sōla iacet in magnō lectō sine virō suō. Cūr Aemilia sōla est in cubiculō? Sōla est, quia Iūlius, vir eius, abest. Ubi est Iūlius? Is Rōmae est.

Aemilia exit ē cubiculō, ōstium post sē claudit et intrat in ātrium, ubi circum impluvium ambulat.

Mārcus, quī hominem in ātriō ambulare audit, timet et sē interrogat: “Quis est quī ambulat in ātriō, dum servi et liberi dormiunt? Quid agit ille homō? – Pater familiae Rōmae est. Dum dominus ā villā abest, fīlius eius est dominus! Necesse est sine timōre virum improbum petere...!”

Mārcus exit ē lectō atque ōstium aperit, neque ē cubiculō suō exire audeat. Baculum crassum, quod sub lectō iacet, sūmit, quia virum illum improbum, quī in villam intrare audeat, baculō pulsare vult!

Aemilia, quae ōstium aperiri audit, ad cubiculum Mārci sē vertit, et Mārcus, quī hominem per umbram ad sē venire audit, perterritus est: baculum pōnit, ōstium claudit, et lectum post ōstium pōnit!

Māter, quae ōstium aperire vult neque potest, imperat: “Age! Aperī ōstium, Mārce! Māter tua est.”

Mārcus vōcem Aemiliae audit et ōstium aperit.

Mārcus: “Ō mamma! Vir improbus in ātriō ambulat et...”

Aemilia ridet et filiō suō ōsculum dat: “Nōn est vir improbus, sed fēmina proba, quae virum suum probum exspectat. Pater abest, sed māter tua apud tē adest. Nēmō improbus in hanc villam intrare potest aut audeat.”

Et māter et fīlius ridet et rūsus lectōs suos petunt.

### 13. Servī dormiunt (cap. I–XI)

In villā Iūlii multa sunt cubacula parva et magna. Magnum est cubiculum Iūlii et Aemiliae, in eō magnus lectus est. Pater et māter in magnō lectō dormiunt. Cubacula liberōrum parva sunt et in iis lecti sunt parvi. Mārcus et Quīntus et Iūlia in parvis lectis dormiunt.

Servī multī in ūnō cubiculō magnō dormiunt. In cubiculō servōrum nulli sunt lecti. Servī quī dormiunt nōn in lectis, sed in terrā iacent. Etiam multae ancillae in ūnō cubiculō dormiunt neque eae lectōs habent.

Ecce Dāvus quī cum aliis servis fessīs in magnō cubiculō iacet. Pauci servī iam dormiunt, alii verba faciunt, alii rident. Servī quī dormire volunt vōcēs aliōrum audiunt nec dormire possunt.

Syrus, quī Mēdum apud sē nōn videt, Lēandrum interrogat: “Ubi est Mēdus? Cūr hīc nōn dormit? Estne aeger?”

Lēander: “Mēdus sānus est, sed ā villā abest, quia nummōs dominī nostrī habet! Dāvus dicit ‘Mēdum Rōmae amīcam habēre.’ Putat eum Rōmae esse apud amīcam suam.”

Syrus: “Ergō Mēdus nōn sōlus in terrā dormit, sed in lectō cum amīcā suā!”

Syrus et Lēander rident.

Dāvus servōs tacere iubet: “Tacēte, servī! Iam necesse est dormire.”

Servī tacent atque oculōs claudunt. Iam nulla vōx audītur.

Iam Dāvus et alii multī dormiunt, sed Syrus et Lēander et alii quī prope Dāvum iacent dormire nōn possunt, quia Dāvum animam dūcere audiunt!

Dāvus enim stertit: “Zzzzz...ārrch, zzzzz...ārrch!” Syrus, quī fessus est, dormire vult atque oculōs claudit, nec dormire potest, quod Dāvum stertere audit. Anima Dāvī nōn vidērī, sed audīrī potest! Syrus oculōs claudere potest, aurēs claudere nōn potest.

Syrus (irātus): “Ssst!”

Dāvus rursus stertit: “Zzzzz...ārrch!”

Syrus: “Tacē, Dāve!”

Dāvus nōn respondet, sed Lēander: “Tacē, Syre! Dāvus nullum verbum facit!”

Syrus: “Verbum nōn facit, sed stertit. Audī! Nēmō hīc dormire potest!”

Syrus sē ad Dāvum vertit et digitum suum ad nāsū eius appōnit!

Iam nōn stertit Dāvus. Is atque ceteri servī bene dormiunt.

## 14. Puer armātus (I–XII)

Avunculus Mārci, cui nōmen est Aemilius, in Germāniā militat. Illic exercitus Rōmānus finēs imperiī Rōmāni ā Germānīs dēfendit. Castra exercitūs mille passūs ā flūmine Rhēnō sunt in magnā silvā, ubi hostēs sē occultant. Militēs Rōmāni impetum Germānōrum expectant, neque hostēs barbarōs timent. Rōmāni enim bona arma habent atque circum castra fossa et vāllum altum est. Germāni castra Rōmāna expugnāre nōn possunt.

Mārcus Aemiliū militem fortem esse putat. Puer ipse militāre vult ut avunculus suus, neque arma habet Mārcus, et Iūlius dicit ‘nūllōs puerōs militāre aut arma ferre posse.’

Quid igitur facit Mārcus? Arcum facit ex rāmō et līnēā; etiam sagittās facit ex rāmīs tenuibus.

Dum Mārcus arcum facit, Iūlia in hortō lūdit cum cane suā Margarītā. Sub arbore puella rāmum reperit. Iūlia canī rāmum ostendit: “Ecce rāmus, Margarīta! Quaere eum!” rāmumque procul ā cane iacit. Canis rāmum quaerit, reperit, ad Iūliam portat. Canis rāmum ante pedēs Iūliae pōnit et caudam movet.

Mārcus frātre suum vocat atque eī arcum suum novum ostendit: “Ecce arcus meus, Quīnte. Iam miles fortis est frāter tuus!”

Quīntus: “Miles Rōmānus gladiō et pilō armātus est, nōn arcū et sagittīs. Ea arma sunt Hispānōrum et Gallōrum quī in exercitū Rōmānō militant.”

Mārcus: “Sed exercitū necesse est arcūs et sagittās habēre, neque enim pila gravia procul iaci possunt. Sagittae procul volant quia levēs sunt.”

Mārcus sagittam sūmit et in arcū pōnit. Ecce sagitta ex arcū iacitur et in hortō prope Iūliam ad terram cadit. Iūlia perterrita sagittam prope caput suum volāre sentit – sagitta aurem eius tangit!

Syra, quae cum Iūliā in hortō est, sagittam prope Iūliam volāre videt atque irāta ad Mārcum currit. Mārcus, quī Syram accurrere videt, arcum ad terram iacit atque fugit. Syra arcum Mārci manū capit eumque procul ex hortō iacit. Mārcus trīstis arcum suum volāre aspicit.

Canis quoque arcum volāre videt. Canis etiam illum rāmum quaerit ac reperit, neque eum ad Mārcum portat.

Quīntus ridet, quod ‘militem fortem’ sine armīs fugere videt!



## 15. Kalendārium Rōmānum (I–XIII)

Cornēlius suō Sextō filiō kalendārium mōnstrat: “Ecce kalendārium Rōmānum, Sexte, cum nōminibus mēnsium et numerō diērum. Annus tōtus quot mēnsēs et quot diēs habet?”

Sextus: “Duodecim mēnsēs et trecentōs sexāgintā quīnque diēs.”

Cornēlius: “Hoc est kalendārium novum. In kalendāriō Rōmānō antiq̄uissimō numerus mēnsium erat decem tantum, non duodecim. Tunc mēnsis annī p̄rimus erat Mārtius, id est initium v̄eris; ante Mārtium hiems erat sine nōmine mēnsium. Ergō necesse erat annō dare duōs novōs mēnsēs: Iānuārium et Februārium. Quam longus est mēnsis Iānuārius?”

Sextus: “Iānuārius ūnum et trīgintā diēs longus est.”

Cornēlius: “Quī mēnsis brevissimus est?”

Sextus: “Februārius, quī duodētrīgintā tantum diēs habet.”

Cornēlius interrogat: “Quī diēs annī brevissimus est?”

Sextus nōn respondet, neque enim diēs nōmināre potest.

Cornēlius: “Diēs brevissimus – et nox longissima – est ante diem octāvum kalendās Iānuāriās. Diēs longissimus – et nox brevissima – ante diem octāvum kalendās Iūliās est. Eō diē sōl altissimus est in caelō. Diēs et hōrae longiōrēs sunt aestāte quam hieme et breviōrēs hieme quam aestāte.”

Sextus: “Quid? Nōne tōtō annō aequae sunt hōrae?”

Cornēlius: “Tōtō annō, et aestāte et hieme, diēs in duodecim hōrās dīviditur, ergō hōrae diē longiōrēs sunt aestāte quam hieme.”

Sextus: “Aestāte diēs et hōrae nōn solum longiōrēs, sed etiam calidiōrēs sunt. Quī mēnsis annī calidissimus est?”

Cornēlius: “Mēnsis annī calidissimus est Iūlius, et Augustus prope tam calidus est quam Iūlius. Iī duo mēnsēs nōn ā deīs, sed ab hominibus nōminantur: Iūlius ā Iūliō Caesare et Augustus ā Caesare Augustō. Ante tempora Iūlii Caesaris et Caesaris Augusti nōmina eōrum mēnsium erant ‘Quīntilis’ et ‘Sextilis’ ā numerīs ‘quīntō’ et ‘sextō’, quia in kalendāriō antiq̄uō mēnsis p̄rimus erat Mārtius; Iūlius igitur mēnsis quīntus erat et Augustus mēnsis sextus.”

Sextus: “Etiam praenōmina sunt ‘Quīntus’ et ‘Sextus’. Mēnsis Sextilis igitur nōminātur ā meō praenōmine ‘Sextō’ et Quīntilis ā praenōmine amīcī mei ‘Quīntī’! Cūr numerī sunt praenōmina nostra?”

Cornēlius: “In familiis antiq̄uis magnus numerus erat liberōrum, ergō filiō quīntō nōmen erat ‘Quīntus’ et filiō sextō ‘Sextus’. Nunc, quia paucī sunt liberī, etiam filiō p̄rimō aut secundō praenōmen datur ‘Quīntus’, ut filiō Iūlii secundō, aut ‘Sextus’, ut filiō meō p̄rimō.”

Sextus gaudet quod patrī eius nōn sex filiī sunt, sed ūnus tantum!

## 16. Asinus currēns (cap. I–XIV)

In campō prope hortum Iūlii puerī pilā lūdere solent. Mārcus pilam sūmit et “Venī mēcum in campum, Quīnte!” inquit. Mārcus in campō cum frātre suō pilā lūdere vult.

Mārcus et Quīntus campum petunt cum cane, cui nōmen est Cerberus. Puerī pilā lūdere incipiunt. Alter ad alterum pilam iacit, primum Mārcus ad Quīntum, quī pilam capit et ad Mārcum iacit. Mārcus pilam capit et rūsus ad Quīntum iacit neque Quīntus pilam capere potest – sed canis pilam capit! Iam canis ante Quīntum stat pilam ōre tenēns.

Quīntus pilam ā cane poscit: “Dā mihi pilam, Cerbere!” Canis autem pilam dentibus tenet neque eam relinquit.

Prope puerōs ludentēs parvus asinus in herbā iacet. “Ille asinus mē portāre potest” inquit Mārcus, atque ad asinum adit.

“Surge, asine!” inquit, et asinum pede pulsat. Asinus surgit, et Mārcus eum ascendit. Iam puer super asinum sedēns “Ecce equus meus, Quīnte!” inquit, “Eques fortis est frāter tuus!”

Quīntus: “Quī asinō vehitur eques nōn est! Neque asinus tē vehere vult.”

Mārcus asinum manū verberat et clāmat: “Curre, asine!” sed asinus, quī puerum gravem vehere nōn vult, quiētus stat neque sē movet.

Asinus rudit: “Hīāhīā!”

Canis asinum rudere audit et lātrat: “Baubau!” Pila ex ōre canis cadit. Quīntus pilam capit eamque in asinum iacit! Asinus perterritus currit – et Mārcus ad terram cadit! Asinus eum cadentem pede pulsat.

In herbā iacēns Mārcus asinum currentem aspicit. “Cōnsiste, asine!” clāmat puer, sed asinus ab eō fugit. Canis post asinum currit.

Quīntus rīdet quod ‘equitem fortem’ in herbā iacentem videt.

Mārcus irātus “Stultus est asinus!” inquit.

Quīntus: “Quī asinō vehitur tam stultus est quam asinus suus! Surge, ‘asine!’”

## 17. Puer aeger et medicus (cap. I–XV)

Hodiē māne Mārcus dīcit ‘sē ē lectō surgere nōn posse nec lūdum petere.’

“Cūr surgere nōn potes?” interrogat Dāvus.

“Surgere nōn possum” respondet Mārcus, “quia aegrōtō. Caput mihi dolet.” Hoc dīcēns puer oculōs claudit et tergum ad Dāvum vertit.

Dāvus Iūlium, patrem Mārcī, vocat: “Venī, domine, et aspice tuum Mārcum filium, quī dīcit ‘sē aegrōtāre!’”

Iūlius intrat et spectat filium in lectō iacentem.

Mārcus sē vertit et faciem dolentem ostendit; manum ad frontem appōnit et “Aegrōtō, pater” inquit, “Ei, ei! quam dolet caput! Surgere nōn possum.”

“Sī aegrōtās” inquit Iūlius, “necesse est medicum vocāre. Is tē sānāre potest.”

Iūlius statim servum iubet Tūsculum ire atque medicum arcessere.

Post hōram servus cum medicō ad villam Iūlii redit. Medicus Mārcum linguam ostendere iubet, et linguam eius rubram esse videt. Tum oculōs et aurēs eius spectat et frontem eius tangit: nec nimis calida nec nimis frīgida est frōns. Deinde medicus manum super pectus puerī impōnit et eum bene spīrāre atque cor eius bene palpitāre sentit; puer pulmōnēs bonōs et cor bonum habet.”

“Quid tibi dolet?” interrogat medicus.

“Caput et venter dolet” respondet Mārcus.

Tum medicus “Ergō” inquit “corpus tuum nimis plēnum est sanguinis. Necesse est vēnam aperīre. Ecce culter meus.” Medicus puerō cultrum suum ostendit.

Cultrum medicī vidēns Mārcus “Iam nōn tam male mē habeō” inquit, “Satis bene mē valēre sentiō. Caput iam nōn dolet neque mē ventrem malum habēre putō.”

Rīdet medicus. At pater irātus iubet filium suum statim ē lectō surgere atque lūdum petere!

## 18. Canis ululāns (cap. I–XV)

Nox est. Villa Iūlii obscura et quieta est. Omnēs dormiunt. Parentēs in magnō cubiculō suō dormiunt. Uterque filius, Mārcus et Quīntus, in cubiculō suō parvō dormit. Soror eōrum Iūlia etiam in parvō cubiculō cubat, sed hāc nocte male dormit, quia caput eī dolet; puella vigilāns gallum canentem exspectat. Fenestra cubiculī clausa nōn est, āēr frigidus cubiculum intrat. Puella per fenestram apertam nihil videt praeter caelum obscurum, nam lūna et stēllae nūbibus operiuntur. Iūlia noctem obscuram timet, ea enim sōlem et caelum clārum amat, hortō et rosīs dēlectātur.

Tum per noctem obscuram et quiētam canis ululat: “Uhuhuhū!”

Iūlia canem ululāre audit et perterrita est: capillī horrent, cor palpitat, puella in lectō sē movēre nōn audet, et clāmat: “Mamma! Venī!”

Aemilia clāmōre filiae excitātur et statim accurrit. “Quid est, mea filia?” interrogat, “Nōn dormīs? Adhūc nox est.”

Iūlia: “Nōn dormiō quod lupum timeō. Audī, mamma: lupus ululat. In hortō nostrō est lupus ferus!”

Aemilia canem rūsus ululāre audit et “Nōn est lupus, Iūlia” inquit, “est canis tua Margarīta quae ululat. Num tū canem tuam timēs?”

Etiam Mārcus et Quīntus clāmōrem vōcēsque audiunt et cubiculum Iūliae intrant.

“Quid nōn dormītis?” interrogant, “Num iam tempus est ē lectō surgere?”

“Nōndum māne est” inquit māter, “Iūlia perterrita est quia putat canem ululantem esse lupum! Sed nunc vōs omnēs dormīte!”

Mārcus “Ō, quam stulta es, Iūlia!” inquit rīdēs.

“Tacē, Mārce!” inquit māter, “Adhūc tempus est dormīre. Audīmus ululantem canem, nōn gallum canentem.”

## 19. Via Ōstiēnsis (cap. I–XVI)

Mēdus cum amīcā suā in patriam suam Graeciam ire vult.

Mēdus: “In portū Ōstiēnsī bona nāvis nōs opperitur. Necesse est nōs ambulāre Ōstiam, neque enim equum aut asinum habēmus.”

Lȳdia: “Ōstiam ambulāre nōn possumus. Nimis longa est via.”

Mēdus: “Via Ōstiēnsis paulō longior est quam via Latīna Tūsculō Rōmam. Si fessa es, ego tē portāre possum!” Hoc dīcēns Mēdus amīcam suam complectitur eīque ōsculum dat.

Lȳdia: “Tū mē portāre nōn potes. At sī necesse est, tēcum Ōstiam ambulō. Fessa nōn sum ac paucās rēs mēcum ferō.”

Ergō Mēdus et Lȳdia Rōmā ēgrediuntur et Ōstiam ambulāre incipiunt. Mēdus saccum portat cum rēbus Lȳdiae et suīs. Post trēs hōrās Lȳdia cōsistit ac fessa apud viam cōnsidit. Mēdus quoque cōsistit et trīstis viam longam ante sē intuētur. Tum viam post sē spectat. Illic venit vir crassus cum asinō quī duōs saccōs gravēs vehit.

Mēdus illum virum salūtat: “Salvē, bone vir!” et “Ecce amīca mea fessa” inquit, “iam nōn potest ambulāre. Potestne eam portāre asinus tuus?”

“Asinus meus iam duōs saccōs gravēs portat” inquit vir crassus; “mē portāre nōn potest aut nōn vult, quia ego nimis crassus sum. Sed amīca tua tenuis et levis est. Asinum meum ascende, fōrmōsa! Dā mihi manum!”

Lȳdia surgit. Mēdus ipse amīcam suam asinum ascendentem manū sustinet.

Super asinum sedēns Lȳdia “Ambulā, asine!” inquit, sed asinus in viā stat neque ē locō sē movet.

Tum Mēdus herbam carpit et ante asinum tenet. Asinus herbam ēsse vult atque ambulāre incipit. Lȳdia laeta asinō vehitur.

Mēdus: “Bonus es vir quod asinō tuō amīcam meam vehis. Nōs Rōmā venīmus et Ōstiam īmus. Tūne quoque Ōstiam īs? Quod nōmen tibi est?”

“Mihi nōmen est Mopsus” inquit ille, “Ōstiam eō, nam illic habitō. Cūr vōs Ōstiam ītis?”

Mēdus: “Ex portū Ōstiēnsī in patriam nostram Graeciam nāve vehī possumus. Illic bona nāvis nōs opperitur.”

Mēdus ē saccō suō mālum sūmit et “Ecce” inquit “mālum tibi dō, amīce!”

Mopsus: “At saccī quōs asinus meus portat plēnī sunt mālōrum. Tabernārius sum, māla et pira vēndō. Mālum ā tē nōn accipiō.”

Mēdus: “Sed nihil aliud habeō quod tibi dare possum.”

Mopsus: “Id necesse nōn est. Mē dēlectat amīcam tuam fōrmōsam mēcum vehere.”

Dum Mēdus cum Mopsō loquitur, Ōstiam adveniunt. Asinus ante tabernam Mopsī cōsistit.

Dominus asinō suō fessō māla dat.

Mēdus: “Valē, Mopse, bone amīce!”

Mopsus: “Etiam vōs valēte, amīcī meī! Bene nāvigate!”

Item Lȳdia “Valē, amīce!” inquit, “Nihil habeō quod tibi dare possum – praeter ōsculum” et

Mopsō ōsculum dat. Ille ōsculō tam pulchrae fēminae laetātur.

Mēdus id spectāns nōn laetātur. “Venī mēcum, Lȳdia!” inquit, et statim ad portum ire incipit.

Lȳdia Mopsū trīstem relinquit et amīcum suū sequitur.

## 20. Medicus doctus (cap. I–XVII)

Dominus, cum Tūsculum it, equō vehitur aut lecticā portātur ā servīs suīs. Servī vērō asinīs vehī solent; sed servus quī medicum arcessere iubētur, nōn asinō pigrō, sed equō corrente vehitur. Medicus quoque equō vehitur. Itaque brevī tempore ad aegrum venīre potest.

Lēander Syrum equum ascendere vidēns interrogat: “Cūr tū hodiē equō veheris, Syre? Nōs servī asinīs vehimur, nōn equīs!”

Syrus: “Equō vehor quia medicum arcessere iubeor. Equō corrente brevī tempore Tūsculum ad medicum vehor. Medicus quoque equō vehitur.”

Syrus igitur equō vehitur Tūsculum ac post hōram cum medicō redit.

Medicus ōstiariō “Aperī ōstium!” inquit, “Medicus sum, ā dominō tuō exspector.”

“Rēctē dīcis, medice” inquit ōstiarius ōstium aperiēns, “tū ā dominō exspectāris, quia filius eius aegrōtat. Ātrium intrā!”

Medicus ātrium intrat atque illīc ā Dāvō servō salūtātur: “Salvē, medice!”

Medicus: “Ubi est dominus tuus? Cūr ā servō, nōn ā dominō, salūtor?”

Iūlius intrāns “Salvē, medice!” inquit, “Laetor tē iam adesse, nam tū ut ‘medicus doctus’ ab aegrīs laudāris. Venī mēcum ad filium meum aegrum!”

Medicus: “Rēctē dīcis: laudor ā multīs aegrīs quōs sānō vel sānāre cōnor.”

Iūlius: “Vōs medicī laudāminī ab aegrīs quōs bene sānātis, nōn laudāminī ab iīs quōs male sānāre cōnāminī et quī adhūc aegrī sunt – aut iam mortuī!”

## 21. Numeri et litterae (cap. I–XVIII)

Quibus litteris significantur numeri? Litterae septem quibus numeri significantur sunt C, D, I, L, M, V, X. Littera I significatur numerus 'unus', V 'quinque', X 'decem', L 'quingenta', C 'centum', D 'quingenti', M 'mille'. Ecce magnus numerus in quo omnes numerorum litterae iunguntur: MDCLXVI = mille sescenti sexaginta sex [= 1666].

Si bis scribuntur litterae I, X, C, M, significantur numeri 'duo' II, 'viginti' XX, 'ducenti' CC, 'duo milia' MM. Si eadem litterae ter scribuntur, numeri significantur 'tres' III, 'triginta' XXX, 'trecenti' CCC, 'tria milia' MMM.

Si ante V et X ponitur I, fiunt numeri 'quattuor' IV et 'novem' IX; si X ante L et C ponitur fiunt numeri 'quadragesima' XL et 'nonagesima' XC. Numeri 'sex', 'septem', 'octo' significantur cum ad V adduntur I, II, III: VI, VII, VIII. Hi omnes numerorum litterae adduntur ad litteras X, L, C, D, M.

Diodorus magister discipulos suos et litteras et numeros docet. "Ecce" inquit "tres litterae: X, C, M. Quaeque littera numerum significat. Quos numeros?"

Titus: "Littera X numerum 'decem' significat, C 'centum', M 'mille'."

Magister: "Dividite quemque numerum in dimidias partes! Quid est dimidium 'decem', dimidium 'centum', dimidium 'mille'?"

Sextus: "Dimidium decem est quinque, dimidium centum quinquaginta, dimidium mille quingenti."

Magister: "'Quingenti', non 'quingenti'! Quomodo hi numeri breviter scribuntur?"

Sextus "'Quinque' scribitur littera V, 'quingenta' L, 'quingenti' D."

Magister: "Prone tabulam et stilum, Marce, et scribe X bis et ter!"

Marcus bis X scribit: XX, tum eandem litteram ter scribit: XXX.

Magister: "Quos numeros scribis?"

Marcus: "Scribo numeros 'duodecim' et 'tredecim'."

Magister: "O Marce! quam stulte respondes! 'Duodecim' et 'tredecim' scribuntur XII et XIII, non XX et XXX! Iis litteris significantur numeri 'viginti' et 'triginta'. Iam scribe 'quadragesima' et 'quingenta'!"

Marcus X scribit quater: XXXX, et quinquies: XXXXX.

Magister: "Prave scribis! Non oportet toties X scribere, nam 'quadragesima' scribitur XL et 'quingenta' breviter scribitur L."

Sextus: "Littera L non modo numerus significatur, sed etiam praenomen, id est 'Lucius'. Itemque litteris M et C significantur praenomina 'Marcus' et 'Gaius'. Cur praenomen 'Gaius' scribitur littera C, non G?"

Magister: "Quia antiquis temporibus una littera erat C significans et C et G."

Sextus: "Ergo numerus QVINGENTI tunc erat QVINCENTI!"

Magister: "Recte dicis. At nunc additur parva linea quae litteram G, non C, esse significat."

## 22. Amor adulēscēntium (cap. I–XIX)

Iūlius in peristylō suō magnificō, quod columnīs et signīs deōrum ōrnātur, cum amīcō suō Cornēliō loquitur.

“Certē tū vir beātus es, Iūli”, inquit Cornēlius, “nam villam magnificam possidēs cum magnā familiā atque uxōre pulcherrimā.”

Iūlius: “Mea uxor nōn pulchrior est quam tua. Tū quoque es vir beātus, Cornēli, quamquam tibi nōn tanta villa atque minor familia est. Neque enim eae sunt rēs quae hominēs beātōs faciunt.”

Ad hoc Cornēlius “Ita est ut dīcis”, inquit, “sed vir pauper ā fēminīs dīvitibus nōn amātur neque virgō pauper amātur ā virīs dīvitibus!”

Iūlius: “Immō ego adulēscēns dīves virginem pauperem amābam – nec vērō ab eā amābar! Numquam ab eā salūtābar, epistulae ac flōrēs, quōs ad eam mittēbam, ad mē remittēbantur. Itaque trīstis eram ac miser. Parentēs meī multīs modīs mē dēlectāre cōnābantur, optimum cibum mihi dabant, sed ego paulum edēbam et nocte male dormiēbam.”

Cornēlius: “Cūr illa virgō pauper tē adulēscēntem dīvitem nōn amābat?”

Iūlius: “Quia alium virum dīvitem amābat – nec vērō ab illō virō pessimō amābātur, quod virgō pauper erat!”

Cornēlius: “Quae erat illa virgō pauper?”

Iūlius: “Erat Aemilia, quae nunc uxor mea est ac mē nec ūllum alium virum amat. Hodiē beātī coniugēs sumus.”

Cornēlius: “Ego quoque adulēscēns virginem pauperem amābam, neque putābam mē ab eā amārī quia ipse pauper eram. Sed illa mē nec ūllum alium virum amābat – ac nunc uxor mea est. Nōs beātissimī sumus coniugēs, quamquam dīvitēs nōn sumus. Uxor mea mulier est optima ac pulcherrima.”

Iūlius: “Uxor tua nōn melior neque pulchrior est quam mea Aemilia!”



### 23. Dē novō infante (cap. I–XX)

Aemilia, quae iam duōs filiōs et ūnam filiam habet, novum infantem exspectat. Illa alteram filiam habere vult, sed marītus eius Iūlius magis gaudēbit sī filium habēbit, quamquam dicit ‘sē velle filiam habere.’

Herī Iūlius nesciēbat uxōrem suam novum infantem exspectāre, quamquam vidēbat eam minus gracilem esse. Nunc autem intellegit Aemiliam nōn propter cibum crassiōrem fierī!

Iūlia parentēs dē ‘alterā filiā’ loquentēs audit, atque ita scit dē novō infante. Neque vērō gaudet Iūlia, nam sōla vult tōtum amōrem parentum sibi habere! Verba Aemiliae dē parvulā sorōre quae aequē amābitur eam nōn satis cōsōlantur.

Mārcus et Quīntus dē infante quī exspectātur nesciunt. Iūlia autem dē hāc rē tacere nōn potest. Frātrēs vocat et iīs “Audīte!” inquit, “Mox ego nōn erō sōla puella cum duōbus puerīs. Post paucōs mēnsēs mihi soror erit.”

Puerī statim ad mātrem adeunt eamque interrogant: “Estne vērū quod dicit Iūlia? Sorōremne habēbimus?”

Aemilia: “Certē novum infantem habēbō, sed filiumne an filiam, nēmō scit. Vōsne frātre an sorōrem habere vultis? Nōne laetābiminī sī alteram sorōrem habēbitis?”

Mārcus: “Ego parvulīs infantibus nōn dēlector. Semper in cūnīs iacent, mēcum lūdere nōn possunt, nihil dīcunt, sed magnā vōce vāgiunt!”

Aemilia: “Nōlī ita loquī, Mārce! Ante octō annōs tū ipse in cūnīs iacēbās ac vāgiēbās nec cum aliīs puerīs lūdere poterās.”

Quīntus: “Ego nōn frātre, sed sorōrem volō, etiam sī filia illa parvula sōla ā mātrem cūrābitur, nōs liberī māiōrēs nōn cūrābimur!”

Aemilia: “Vōs omnēs bene cūrābiminī, etiam sī filiōlam habēbō. Nōlīte timere!”

## 24. Fīlius mercātōris (cap. I–XX)

Miciō est mercātor quī Ōstiae prope portum habitat. Vir dīves est, quī mercēs suās, quae ex terrīs aliēnīs advehuntur, magnō pretiō in Italiā vēndit. Fīlius Miciōnis, cui nōmen est Marīnus, iam adulēscēns est septendecim annōrum. Marīnus puer apud magistrum suum optimus discipulus erat, quī nōn modo litterās et numerōs bene discēbat, sed etiam ipse per sē librōs legēbat.

Mercātor sic filiō suō loquitur: “Ab hōc annō puer nōn es, Marīne. Volō tēcum loquī dē tempore futūrō. Vīsne mercātor esse ut pater tuus? an nauta?”

Marīnus respondet: “Ego nec mercātor nec nauta esse volō, nam nōn solum nautae, sed etiam mercātōrēs nāvīgāre dēbent, ac multae nāvēs cum mercibus in flūctūs merguntur. Tempestātēs et mare turbidum metuō. Sed nōlō domī manēre. In Graeciam ibō, quia litterās Graecās ac linguam Graecam discere volō. Doctus erō ut magister meus, nec solum librōs Latīnōs, sed etiam librōs Graecōs legam. In Graeciā virōs doctōs audire poterō ac multās rēs ab optimīs magistrīs discere. Vīsne mē tēcum in Graeciam dūcere?”

Verba filiī patrem nōn dēlectant, nam is putābat filiū suū velle mercātōrem esse. Nec tamen adulēscēntem tam prūdēntem domī tenēre vult, itaque filiō “Gaudeō” inquit “quod vīs mēcum in Graeciam ire, quamquam mercātor esse nōn vīs. Bene intellegō tē, ut adulēscēntem prūdēntem, plūra discere velle in Graeciā apud magistrōs doctissimōs. Sed nāvīgāre necesse est, sī in Graeciam ire volumus, et tū dīcis ‘tē mare metuere neque nāvīgāre velle!’”

Marīnus: “Sī bonam nāvem et gubernātōrem prūdēntem habēbimus ac ventum secundum, sine metū tēcum nāvīgābō, pater.”

Septimō diē post hoc colloquium, ventō secundō atque caelō serēnō, Miciō cum Marīnō filiō proficīscitur. In portū Ōstiēnsī filius mātrem suam complectitur et osculātur. “Valē, mātēr mea!” inquit, et mātēr lacrimam dētergēns “Ō Marīne! Vīve valēque!” Tum filius cum patre nāvem cōnscendit.

Vēla ventō implentur et nāvis plēnīs vēlīs ē portū ēgreditur.

## 25. Gubernātor optimus (cap. I–XX)

Miciō mercātor cum filiō suō Marīnō Graeciam petit. Mercēs suās magnō pretiō in Graeciā vēndere vult et illic novās mercēs minōre pretiō emere, quās deinde in Italiā vēndet pretiō māiōre. Hōc modō mercātor prudēns magnam pecūniam facere solet. Certē mercātor dīves est Miciō.

Dum nāvis ventō secundō per mare vehitur, Marīnus in puppī sedet et librum dē optimō gubernātōre, cui nōmen erat Palinūrus, legere cōnātur. At difficile est in puppī librum legere, quia gubernātor absentem cantat amīcam. Marīnus eum tacēre iubet, sed ille foedā vōce cantāre pergīt!

Adulēscēns oculōs ā librō suō tollēns mare et caelum intuētur. Suprā mare nūbēs ātrās orīrī videt et procul tonitrum audit. Statim patrem adit et “Vidēsne” inquit “illās nūbēs ātrās? Quid eās significāre putās? Ego tonitrum ac tempestātem venientem timeō, nam tonitrus iam procul auditur. Nōlō in mediō marī tempestātem opperīrī. Iubē gubernātōrem portum petere, pater! Illic finem tempestātis opperīrī poterimus.”

Mercātor vērō “Nōlī timēre!” inquit, “Gubernātor noster est bonus nauta, quī officium suum scit. Certē tū plūrēs librōs legis quam ille, et multās rēs difficilēs scīs, sed nāvigāre nescīs – id librī tui tē docēre nōn possunt. Manē tranquillus in puppī et perge librum tuum legere!” “Ego tranquillus sum” inquit filiū, “nec iam tranquillum erit mare!”

Marīnus ad gubernātōrem redit, quī māiōre vōce cantāre incipit, dum tōtum caelum nūbibus ātrīs operītur et iam prīma fulgura mare illūstrant. Gubernātor vērō neque caelum neque mare aspicit, et male canere pergīt!

“Tacē, gubernātor!” inquit adulēscēns, “Spectā caelum! Fac officium tuum! Necesse est portum petere, antequam māxima tempestās oritur.”

Gubernātor nūllum verbum respondet, sed rīdēns sē ad Marīnum vertit eumque ūmidīs oculīs intuētur. Tum adulēscēns animadvertit eum manū tenēre pōculum – ex quō nōn aquam bibit!

Subitō magnus ventus flāre incipit ac nāvis magnīs flūctibus iactātur. Gubernātor surgere cōnātur nec pedibus stāre potest et ante Marīnum lābitur. Clāmant omnēs et Neptūnum invocant: “Servā nōs, Neptūne!” Nāvis sine gubernātōre in marī turbidō errat atque aquā implērī incipit. Nautae aquam haurīre cōnantur ac mercēs gravēs in mare iaciunt.

Tum vērō, omnibus perterritīs, Marīnus tranquillus in locō gubernātōris cōnsīdit: is nāvem contrā ventum vertit et in mediīs flūctibus rēctē gubernat. Ita nāvis servātur nec flūctibus mergitur. Paulō post ventus cadere incipit.

Laetantur omnēs et Marīnum ut optimum gubernātōrem laudant eumque ‘alterum Palinūrum’ vocant.

Miciō laetus filiū complectitur et “Profectō” inquit “tū nōn solum librōs legere, sed etiam nāvem gubernāre scīs!”

Marīnus autem “Librum legēbam” inquit “dē Palinūrō, optimō gubernātōre. Ut vidēs, librī mei multās rēs mē docēre possunt.”

## 26. Magister numerōs dictat (cap. I–XXI)

Magister Diodōrus, postquam discipulōs numerōs breviter scribere docuit, sex numerōs iīs dictat: ‘quattuor’, ‘novem’, ‘quattuordecim’, ‘ūndēvigintī’, ‘quadringenta’, ‘nōngenta’. Cūr magister ‘quadringenta’ et ‘nōngenta’ dīcit, nōn ‘quadringentī’ et nōngentī? Numerī quī in -genta dēsinent sunt neutrum plūrālis.

Quisque discipulus suō modō numerōs scribit. Sextus sic scribit: IV, IX, XI, XIX, CD, CM; Titus sic: IV, IX, XIV, XIX, XL, XC; Mārcus sic: IIII, VIIII, XIII, XVIIII, CCCC, DCCCC.

Diodōrus, postquam numerōs dictāvit et discipulī eōs scrīpsērunt, tabulam cuiusque discipulī in manūs sūmit et spectat id quod scrīptum est. Nēmō discipulus omnēs numerōs rēctē scrīpsit, at magister Sextum et Titum quattuor numerōs rēctē scrīpsisse videt. “Vōs” inquit “quattuor numerōs rēctē scrīpsistis, Sexte et Tite.”

Sextus: “Scrīpsimus ita ut nōs numerōs scribere docuistī.”

Diodōrus: “Nec vērō tē CD et CM scribere docuī, Sexte, nam C rārō pōnitur ante D et M, ‘quadringenta’ et ‘nōngenta’ rēctius scribuntur CCCC et DCCCC.”

Mārcus: “Ego ita scrīpsī!” Mārcus dīcit ‘sē ita scrīpsisse’

Magister: “Tū rēctē C quater scrīpsisti in iīs numeris, sed etiam I quater scrīpsisti in numeris ‘quattuor’, ‘novem’, ‘quattuordecim’, ‘ūndēvigintī’: IIII, VIIII, XIII, XVIIII. Id tē nōn docuī! Sciō antiquōs Rōmānōs totiēs I scrīpsisse, sed hodiē littera I pōnitur ante V et X: ‘quattuor’ scribitur IV, ‘novem’ IX, ‘quattuordecim’ XIV, ‘ūndēvigintī’ XIX – hī numerī rēctē scrīptī sunt ā Sextō et Titō.” Magister dicit ‘hōs numerōs ā Sextō et Titō rēctē scrīptōs esse.’

Tum magister sē vertit ad Titum, quī XL et XC scrīpsit, et “Sed cūr tū” inquit “XL et XC scrīpsisti? Eae litterae significant ‘quadrāgintā et ‘nōnāgintā’, nōn ‘quadringenta’ et ‘nōngenta’, ut ego vōbīs dictāvi.”

Titus: “Ego tē ‘quadrāgintā’ et ‘nōnāgintā’ dīcere audīvī.”

Magister: “Male audīvistī! Tūne malās aurēs habēs? Profectō ‘quadringenta’ et ‘nōngenta’ dīxī. Nōnne vōs mē ita dīcere audīvistis, Mārce et Sexte?”

Sextus: “Certē nōs ita tē dīcere audīvimus. Scrīpsimus eōs numerōs quōs nōbīs dictāvistī.” Sextus et Mārcus magistrum numerōs ‘quadringenta’ et ‘nōngenta’ dictantem bene audīvērunt, Titus male audīvit.

Mārcus: “Sed ego ūnus ex tribus discipulīs eōs numerōs rēctē scrīpsī! Cūr mē nōn laudāvistī, magister?”

Magister: “Tē nōn laudāvi, quia aliōs quattuor numerōs prāvē scrīpsisti.”

Mārcus: “Ego scrīpsī ut antiquī Rōmānī scribēbant. Num tū antiquōs Rōmānōs prāvē scrīpsisse putās?”

## 27. Iānitor probus (cap. I–XXII)

Dōrippa, amīca Lȳdiae, sōla habitat Rōmae in domō apud Tiberim flūmen. Forēs domūs cūstōdit iānitor, cui nōmen est Sanniō.

Dōrippa Lepidum amīcum habēbat, sed iam eum ē domō suā pepulit, quia eum falsum amīcum esse arbitrātur.

Domum reversus Dōrippa iānitōrī “Sī Lepidus redit” inquit, “nōlī admittere eum! Virum illum improbum iam vidēre nōlō. Nōn mē, sed ancillam amat.”

Vesperī Lepidus cum novīs flōribus redit atque iānuam pulsat clāmāns: “Heus, iānitor! Aperī iānuam! Lepidus sum. Veniō amīcam meam salūtātum.”

Sanniō: “Nōn licet mihi tē admittere. Dōrippa tēcum colloquī nōn vult. Putō eam iam dormītum iisse. Dīcit ‘nōn sē, sed aliam fēminam ā tē amārī.’”

Lepidus: “Nōn vērūm est quod illa dīcit. Ego sum vērūm amīcus quī amīcam meam nōn fallō. Necessē mihi est cum eā colloquī.”

Sanniō: “Sed Dōrippa mē iubet tibi iānuam claudere.”

Lepidus: “Nōn oportet illī fēminae sevērae pārēre! Iam aperī iānuam!”

Sanniō: “Profectō dominae meae pārēbō. Tē nōn admittō.”

Lepidus dēnārium prōmit et iānitōrī ostendit: “Ecce dēnārius” inquit, “sī iānuam mihi aperīs, dēnārium tibi dō.”

Sanniō: “Quamquam pauper sum, istam pecūniam ā tē accipere nōlō. Ego dominam meam nōn fallō!”

Tandem Lepidus intellegit sē iānitōrem probum nūllō modō movēre posse. Flōrēs ante forēs iaciēns “Valē” inquit, “iānitor – dūrior quam forēs tuae!”

## 28. Neuter recēdere vult (cap. I-XXIII)

Lēander, servus Iūlii, postquam in forō Tūsculānō piscēs et ōva ēmit, viam angustam intrat quae ā forō ad portam oppidī dūcit. In eā viā dominō Cornēliō occurrit, quī equō vehitur ad forum. Lēander ipse ā forō vehitur asinō. Necesse est utrumque cōsistere, nam nimis angusta est via. Sed neuter eōrum, nec dominus nec servus, recēdere vult.

Cornēlius vultū sevērō servum aspiciēns “Heus tū, serve!” inquit, “Cēde mihi! Iubē asinum tuum ad forum revertī!”

Ad hoc Lēander, quī scit asinum suum pāritūrum nōn esse, “Asinus meus” inquit “mihi hoc iubentī nōn pārebit. Prōcēdere vult, recēdere nōn vult! Atque ego iam procul absum ā forō. Tū redī ad portam!”

At dominus irātus “Profectō” inquit “nōlō tibi, sordidō servō, cēdere! Nisi tū mihi cēdis, hōc baculō tē et asinum tuum verberātūrus sum!” Cornēlius dicit ‘sē servum et asinum eius verberātūrum esse’ ac sōlus adversus Lēandrum accēdit baculum ante sē tenēns.

Tum vērō asinus rudere incipit: “Hīāhīāā...!” Turpissimā asinī vōce territus equus in pedēs posteriōrēs surgēns sē vertit atque ē locō fugit. Asinus cum Lēandrō equum currentem sequitur neque Cornēlius eum retinēre potest.

Rubēns ob pudōrem Cornēlius redit ad equum suum, quī intrā portam dominum exspectat.

## 29. Redit Sextus (cap. I-XXIV)

Hōra septima est. Eā hōrā Cornēlius ambulātum ire solet antequam lavātum it, sed hodiē propter imbrem et tonitrum ambulāre nōn potest. Domī manet apud uxōrem suam Fabiam, quae in ātriō Sextum filium exspectat.

Fabia: “Sextus ante hōram septimam redire solet. Quid eum agere putās?”

Cornēlius: “Per hunc imbrem ac tonitrum ambulāre nōn potest. Putō eum sub tēctō exspectāre dum tonitrus dēsinet.”

Tandem iānua aperitur et Sextus ātrium intrat. Parentēs vērō filium suum vix cognōscunt, nam faciēs puerī cruenta est atque vestis eius sordida.

“Salvēte, pater et māter!” inquit puer.

“Ō mī fili!” inquit māter cruōrem cōspiciēns, “Quid tibi factum est?”

Sextus: “Pugnāvī cum Mārcō et Titō. Ii mē pulsāvērunt, postquam ego Mārcum pulsāvī.”

Fabia: “Cūr tū Mārcum pulsāvistī?”

Sextus: “Quia ille dīxerat ‘mātre meam fēminam turpem esse!’”

Cornēlius: “Quid? Itane dīxit ille puer improbus?”

Sextus: “Nōn iis ipsīs verbīs. Dīxit ‘suam mātre fōrmōsissimam esse’ ac ‘mātre meam sine ōrnāmentīs fōrmōsam nōn esse.’ Postea mē ‘puerum barbarum’ vocāvit, quod eum pulsāveram.”

Cornēlius: “Profectō nōn sine causā Mārcum pulsāvistī, quia mātrī tuae male dīxerat! Nam māter tua fōrmōsior est quam māter Mārcī, etiam sī illa plūra et pulchriōra ōrnāmenta habet. Nec tū puer barbarus es, sed doctior Mārcō.”

Sextus: “Certē nōn tam indoctus sum quam ille: rēctius et pulchrius scribō ac melius computō. Magister mē laudāvit quod rēctissimē et pulcherrimē scripseram atque etiam assem mihi dedit quod optimē computāveram.” Sextus assem prōmit et parentibus ostendit.

Fabia: “Gaudēmus tē optimum discipulum esse. Nōn modo laudem, sed etiam dōnum meruistī. Ostende nōbīs litterās tuās quae laudatae sunt ā magistrō!”

Sextus prōmit tabellam, quam suam esse putābat, eamque parentibus ostendit.

Cornēlius tabellam spectāns mīratur litterās foedās ac difficilēs lēctū esse. “Quidnam hoc est?” inquit, “Num magister hās litterās laudāvit?”

Sextus: “Immō ‘litterās foedās esse’ dīxit, sed hae litterae ā Mārcō scriptae sunt. Iam intellegō Mārcum tabulās nostrās mūtāvisse inter pugnam. Is meam tabulam sūmpsit – mīror eum assem meum nōn sūmpsisse!”

Fabia: “Mārcus multōs nummōs ā patre suō dīvite accipit.”

Sextus: “Rēctē dīcis: is multōs nummōs habet – ac nescit numerāre pecūniam suam! Ego ūnum assem habeō ac sciō quattuor assēs facere sēstertium et quattuor sēstertiōs dēnārium.”

Cornēlius: “Quot assēs faciunt quattuor sēstertiī?”

Sextus: “Sēdecim scilicet. Hoc idem magister nōs interrogāvit. Sed id quod mē interrogāvit multō difficilīus erat. Ecce exemplum: Quot dēnāriōs faciunt duodēquīnquāgintā sēstertiī? Tū mihi respondē, pater!”

### 30. Puer barbarus (cap. I-XXV)

Prīmā lūce Mārcus cum Dāvō Tūsculum ambulat. Dāvus nōn modo rēs Mārcī fert, sed etiam epistulam quam Iūlius ad magistrum scrīpsit.

Dāvus: “Ecce epistulam dominī ferō, quam tū ipse magistrō tuō trādēs.”

Mārcus: “Etiamne mercēdem fers, quam magistrō dēbēmus?”

Dāvus: “Pecūniam nōn ferō. Pater tuus mercēdem solvere nōn vult.”

Mārcus: “Ergō magister irātus erit mihi.”

Dāvus: “Nōn tibi, sed patrī tuō irātus erit. Dominus enim plānē scrībit ‘magistrum nihil tē docēre posse neque igitur mercēdem meruisse!’”

Mārcus: “Ita est ut scrībit pater: nihil discō ab illō magistrō!”

Mārcus et Dāvus incipiunt montem ascendere in quō situm est Tūsculum.

Mārcus: “Mīror quod oppidum nōn in valle, sed in monte situm est.”

Dāvus: “Oppida in montibus aedificantur, quia facilius est montem dēfendere. Difficile enim est hostibus montem ascendere.”

Mārcus frontem tergēns “Nōn solum hostibus” inquit “difficile est. Ego semper fessus sum cum tandem ad lūdum advēnī. Ob eam causam necesse est in lūdō dormīre!”

Dāvus: “Id tē nōn excūsāt. Posthāc necesse erit tē in lūdō vigilāre ac magistrō pārere. Laetāre quod tibi licet in lūdum īre – mihi puerō nōn licēbat.”

Mārcus: “Sed tū servus es, Dāve.”

Dāvus: “In patriā meā servus nōn eram. Patria mea est Britannia.”

Mārcus: “Ergō puer barbarus erās.”

Dāvus: “Laetāre quod tū puer barbarus nōn es! Puerīs barbarīs nōn licet litterās et numerōs discere.”

Mārcus: “At puerīs barbarīs licet diēs tōtōs cum aliīs puerīs lūdere, per campōs et silvās errāre, in flūminibus natāre, equōs regere, ferās occīdere, nec iīs necesse est ante lūcem surgere.”

Dāvus: “Puerī barbarī nōn tam beātē vīvunt quam tū putās. Multa mihi puerō erant officia, nec enim servum nec ancillam habēbat pater meus.”

Mārcus: “Quārē ex patriā tuā profectus es?”

Dāvus: “Parentēs meī ā mīlitibus Rōmānīs necātī sunt, quia Rōmānīs auxilium ferre nōlēbant.”

Mārcus: “Cūr Rōmānīs auxilium negābant?”

Mārcus: “Quia Rōmānī hostēs erant Britannōrum. Ego cum parentibus meis habitābam in parvā domō apud magnam silvam in quā exercitus Britannōrum sē occultābat. Subitō militēs Rōmānī domum nostram intrāvērunt ac patrem meum interrogāre coepērunt. Ille vērō cīvēs suōs, quī patriam suam ab hostibus Rōmānīs dēfendēbant, fallere nōlēbat neque ūllum verbum fēcīt dē exercitū Britannōrum quī in silvīs occultābātur. Meīs oculīs vīdī patrem et mātrem ā saevīs mīlitibus occīdī. Ipse puer quīndecim annōrum cum cēterīs Britannīs captīs Rōmam missus sum et servus factus. Pater Iūlii mē sescentīs sēstertiīs ēmit.”